



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Medusa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

DE MEDUSA. CAP. XXX.

**M**EDUSA quoque figmentum licet fabulosum, aliqua subministravit hieroglyphica:

TERROR. CAP. XXXI.

**I**LLA enim horrificis Anguium hiatibus tremenda, terroris significatum habuit. Praefectum vero caput id à Perseo, terrorem summotum ab eo patria procul indicat, virtute duce, quæ per falcatum enssem, & interpositum speculum effingitur.

PRUDENTIA. CAP. XXXII.

**I**N historiis Theogneti antiquitatum scriptoris (nam alium Poetam Comicum memorat Athenæus) Medusa legitur ex tribus Phorci filiiis magis astu pollens, quæ regnum à patre derelictum in magnam auxerit opulentiam, atque ejus prudentiæ causa serpentinum caput illi confectum à Poetis. Cæterum Apollonius Rhodius ἐν τῇ τῆς ἀλεξανδρείας κτίσει, omnia quæ morfu lædunt genita dicitur ex guttis ejus sanguinis, qui ab obtuncato Gorgonis capite distillavit: quamvis Acusilaus nata hæc ex Typhonis sanguine asseveret. At Nicander Hesiodi testimonio ἠέων ἀφ' αἵματ', quippe Titanum à sanguine nata hæc mavult: quod tamen apud Hesiodum, in iis quæ extant operibus, non inventiur: quare nonnulli scribunt Hesiodum, à Nicandro falso citatum, qui Poetarum morem & licentiam non examinat: cum etiam Oratoribus in declamandi genere tam nomina, quam historias pro commodo suo commutare, atque etiam præter fas quædam in usum suum extorquere concedatur.

STUPOR ET ADMIRATIO. CAP. XXXIII.

**Q**UAM vero Medusam Domitianus Imperator pro pectore est gestare solitus, ut in pulcherrimo ejus sigillo spectavimus, omnino stuporem, quem de se omnibus in negotiis quæcunque tractaret concitatum volebat, significasse tradunt: quamvis nonnulli non alia de causa factum putant, nisi ut patris gestamen usurparet: nam in pulcherrimo Vespasiani signo apud Melinos Romæ, Gorgonem huic pro pectore adpositam aspexit. Alii factum à Domitiano in honorem Minervæ volunt, quod numen id sibi colendum præcipue suscepit: nam clypeus hujusmodi Serpentum horrore præmunitus, in primis Palladi dedicatus erat. Eam Eustathius ideo Glaucopin appellatam censeri scribit, quod ex Poetis nonnulli Dracones Glaucopas vocitarint: quamvis & à formidoloso aspectu dici posse non inficiatur, quod Leones illi, qui præcipue Regii nuncupantur, quosque loco suo inter alia significata symbolum terroris esse ostendimus, Glauci à colore nominetur.

PRUDENTIA. CAP. XXXIV.

**N**EQUE tamen desunt qui Gorgonis caput pro Minervæ pectore statutum, prudentiæ, uti id superius, signum esse contendant, quæ locum habeat in pectore: qua qui præditi sunt, facile alios confundere, vel imperitiæ redarguere, faxe osque quodammodo reddere, ubi adhibuerit, possint. Apud Poetas tamen Pallas Medusæ caput ad incitandum, vel ad terrorem incutiendum præten-

*Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hostes,  
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet Angues.*

*Vel postea  
à nomine  
oculis, quæ  
illi sacra-  
Caput Me-  
dusæ quid.  
Metam l. 4.  
ad finem.*

**I**dque præcipue cernere est in scuto Herculis apud Hesiodum: quamvis non sum nescius, esse multos qui opus id Hesiodi illius celeberrimi, quippe ut Naso,

*Servantis pecudes vallibus Asera tuis,*

esse negent: alios qui ad CCL. tantum carmina Hesiodi, reliqua subjuncta ab Aristophane Grammatico contendant, Sane Megacles Atheniensis legitimum agnoscit opus, sed Hesiodo succenset, quod Vulcanum finxerit matris inimicis arma fabricasse. Apollonius Rhodius & Stesichorus Hesiodi omnino esse volent: ait igitur,

*ἐν γὰρ ᾧ μὲν ἔηκε θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη,  
αἰετὸν ἀνασειύουσα.*

Quem